

128. Cuius rei evidens est testimonium, quòd tempore oblatae nostrae Confessionis, reliquis civitatibus Cinglianum dogma amplexis, peculiarem Imperatori Carolo offerre Confessionem fuit liberum.

129. Bis ergò mendaces Sacramentarij: 1. Quòd Confessioni nostrae parem planè cum S. literis autoritatem ac fidem à nobis tribui garriunt 2. Quòd nos alicuæ fidei dominatores passim proclamant: cum tamen constet, nos tam non ullum in exteras Ecclesias arrogasse nobis unquam dominium, ut in omnibus comitijs, conventibus, colloquijs, id potissimum spectaverimus, ut sit pax & sinceritas intra muros nostros.

130. Sed porro blaterant, scriptam eam esse: 1. ab Ecclesia disiecta, & è tenebris iam demum eluctante: 2. scriptam esse subito, & summae temporis angustia: 3. scriptam ad deliberandum, sive ad tempus: 4. scriptam in maximo metu praesentium periculorum: 5. scriptam denique esse cum conditione explicandi obscuriora.

131. Atqui verò rursus tot cavilla, tot paralogismos, tot mendacia effutiunt Sacramentarij, quot membra accusationis ponunt, id quod invictis rationibus, sed breviter, ostendemus.

132. Et primùm quidem esto: Ecclesia tum tenebris fuerit disiecta; quid tum postea? num propterea Confessionem suae fidei certam edere nec potuit nec debuit? Minimè gentium: Annon
tempo-